



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXVI. Vtrum sacramenta possint conferre primam gratiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

posteriores rationes, & maxime propter tertiam tales dicuntur. Quia videlicet id maxime ac propriissime de vnoquoque dicitur absolute, quod sibi conuenit proprie ratione partis sue essentialis, & non tantum ex aliquo mere extrinseco, vt cumque deum reputetur velut intrinsecum, aut solum per comparationem, ac relationem accidentalem ad aliquid aliud adequatè ab ipso distinctum. Talis autem est ea sola moralitas Sacramentorum, quæ notata est in tertia ratione causalitatis moralis ipsorum in gratiam. Et quidem Sacramentis conuenire causalitatem aliquam moralem, respectu gratiæ, distinctam à ratione puræ conditionis sine qua non & puri signi; rem dixit certam de fide Melchior Canus relect. de Sacram. p. 4. §. *Pro eius itaque rei explanatione.* Eandem, tanquam communem, & indubitatam omnibus, etiam causalitatis physici auctoribus, supponit, & tradit Suarez disp. 9. sect. 9. ante secundam conclusionem. Profecto dubitari minime potest, aliquo ex dictis modis, Sacramenta esse causas morales gratiæ, licet nullus determinatus modus causalitatis moralis illis conuenientis talem certitudinis gradum determinatè obtineat.

Ad 1. Opponitur quidem causa purè physica causæ morali, ideoque nequit vtraque causalitas eidem rei conuenire respectu eiusdem effectus. Ceterum non repugnat causam physicam instrumentalem, & imperfectam, actione sua, physice ac immediate manante ab ipsa, permouere causam principalem ad productionem sui effectus, idque sibi conuenire ex vi applicationis aliquorum meritorum respectu sui; aut per inclusionem essentialis actus intrinsecè, ac immediate moralis; ideoque eandem causam secundum considerationes diuersas esse physicam, & moralem respectu eiusdem effectus. Ostensum autem est ea omnia coniunctim in Sacramentis reperiri.

Art. 1. Ad 2. Exempla illa displicent D. Thomæ, & aliis, non quatenus adhibentur ad explicandam causalitatem aliquam moralem Sacramentorum in gratiam, sed quatenus à quibusdam intendebatur non conuenire Sacramentis vllam aliud causalitatis genus respectu gratiæ, quam conueniat moneta plumbea, vel chirographo respectu exactionis pecuniæ debitæ, cuius soluendæ obligationem significant, quin aliud præterea quidquam virtute sua efficiant, aut efficiant; & quam conueniat libro, cuius exhibitione inuestitur Canonicus respectu canonicatus; vel baculo, quo inuestitur Abbas, respectu Abbatie; cum liber, & baculus significant quidem diuersos earum dignitatum gradus, quo tantum respexit Bernardus vtriusque auctor exempli serm. in Coena Domini ante med. nihil tamen præstant aliud virtute sua.

Art. 2. Quæ sanè intentio iure optimo reprobatur, nec tolerari potest. Quia nec moneta plumbea vel chirographum est causa pecuniæ, aut solutionis, nec liber, vel baculus Canonici, vel Abbatis; seu canonicatus, vel Abbatie; Cum tamen Sacramenta sint veræ causæ gratiæ, vt constat ex quæst. 19. Similiter exempla ferræ, & aliorum eiusmodi adducuntur quidem opportunè ad explicandam causalitatem physicam instrumentalem Sacramentorum; non tamen sunt adequata ad excludendam causalitatem moralem physice illi causalitati indiuisim coniunctam. Alioquin non idoneè simul adduceretur vti simul adducitur à D. Thomæ exemplum vocum significantium ad placitum. Quod enim verè exemplum nec ipsum est omnino adequatum, vt patet ex præmissis.

Ad 3. Quod ex sua natura, & actiuitate propria hoc habet, vt sit vtile, ac necessarium ad existentiam effectus, prout oportet ipsum existere; vim pro-

fecto habet mouendi causam principalem talis effectus ad productionem eiusdem. Quia auget rationem boni, & appetibilitatis conuenientem productioni secundum se. Quapropter, quod tale est, confert, ac mouet ad productionem effectus secundum substantiam ratione modi, & specialis conuenientia, quas adiungit ex se. Quod est diligenter obseruandum. Dictum autem est in quæst. præcedenti Sacramenta esse tale quid respectu gratiæ, quatenus subuenientis naturæ lapsæ, intuitu cuius, vt lapsæ, instituta ea sunt, nec instituenda fuissent secluso lapsu, & peculiari humanæ naturæ indigentia, quæ ex illo prouenit, vt liquet ex q. 11. Verum, quia, vt eiusmodi motio Sacramentorum ad infusionem gratiæ redigatur in actum secundum, procedit ex meritis Christi; atque in suo exercitio includit intrinsecè intentionem liberam ministri; & insuper habet adiunctam infallibilitatem effectus inducendi; iure optimo dicitur motio, & causalitas moralis, vt expositum est in q. præsentis.

Ad 4. Vt aliquid dicatur tale, vel tale moraliter, non est necessaria æquivalentia quoad omnia; sed sufficit æquivalentia quoad prædicatum, cuius ratio maxime habetur, dum ea comparatio quasi identificatiua instituitur, vt patet in Prorege, qui moraliter est Rex. Eiusmodi autem æquivalentia non deest in re nostra, vti multipliciter apparet ex dictis. Obseruatum præterea iam est Sacramenta non tam dici causas morales principales gratiæ, propter eam æquivalentiam respectu causæ principalis physice, quam dicantur causæ morales instrumentales, propter dependentiam à meritis Christi, & coniunctionem intentionalem cum iisdem ex eiusdem voluntate diuina; & humana, & propter inclusionem intentionis ministri, vt operantis nomine Christi.

QVÆSTIO XXVI.

Virum omnia Sacramenta possint conferre primam gratiam.

Videntur posse. 1. Quia omne agens potens inducere rem aliquam formam impossibilem cum alia forma, eo ipso potest istam aliam excludere. Omne enim agens potens inducere calorem, eo ipso potest simul excludere frigus, & sic de similibus. Dictum autem est q. 19. Omnia nouæ legis Sacramenta posse inducere gratiam, quæ est forma impossibilis cum peccato. Ergo omnia possunt excludere peccatum; quod est posse conferre primam gratiam.

2. Sancti Patres omnibus promiscuè Sacramentis, maxime verò Sacramento Eucharistiæ, quod vel maxime est Sacramentum viuorum, attribuunt frequenter remissionem peccatorum, munditiam animæ, ablu-tionem sordium, & scelerum, ægritudinum sanationem. Hæc autem, & similia verificari minime possunt absque potestate conferendi primam gratiam omnibus Sacramentis indiscriminatim communi, præcipue verò Sacramento Eucharistiæ.

3. Concilium Tridentinum can. 6. sess. 7. definit. generaliter Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem. Non autem ponit obicem peccator, qui cum bona fide accedit attritis. Idem Concilium sess. 13. can. 5. damnat dicentes præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum. Ergo supponit hanc etiam esse eius fructum. Eidem indidem percipiendo hanc solam dispositionem exigit Apost. 1. Corinth. 11. 28. *Vt probet se ipsum homo.*

Sufficien

Sufficienter autem se probat peccator, qui accedit bona fide, cum attritione existimata contritione, & credens inculpabiliter se esse rectè sufficienterque dispositum. Percipit ergo in eo casu fructum gratiæ sanctificantis, ac per consequens remissionem peccatorum.

4. Congruit magis bonitati, ac beneficentiæ diuinæ, & fiduciæ hominum in misericordia Dei, vt nullus vnquam fraudetur fructu vllius Sacramenti, qui ad illud accedit bona fide. Ergo si bona fides coniuncta fuerit cum peccato; ex quouis Sacramento percipietur gratia coniuncta cum remissione peccatorum; id est percipietur prima gratia.

Art. 1. Respondetur. Certum est apud omnes duo Sacramenta, Baptismi, & Pœnitentiæ conferre per se primam gratiam; reliqua verò quinque solum conferre per se eiusdem gratiæ augmentum. Hinc certum rursus consequenter est licitam esse per se susceptionem priorum duorum Sacramentorum in statu peccati lethalis: Quia de causa Sacramenta mortuorum nuncupantur. Reliqua verò quinque Sacramenta non licite suscipit ab homine non præexistente in gratia, nisi excuset inuincibilis ignorantia iuris, aut facti. Quia de causa Sacramenta viuorum nuncupantur. Certum tertio est Sacramenta mortuorum conferre, saltem per accidens, solum augmentum gratiæ, si suscipiantur ab homine iam aliunde antecedenter iustificato.

Art. 2. Dubitatur. An similiter Sacramenta viuorum conferre possint per accidens primam gratiam suscipienti illam in statu quidem peccati lethalis, sed absque nouo peccato ex ea susceptione ob ignorantiam inuincibilem, vel quod præcesserit peccatum, vel quod nondum deletum, vel quod requiratur status gratiæ? Videtur autem negandum potius cum D. Bonauent. Alexand. Vasquez, & aliis contra Suarez, & alios. Quia de Sacramentorum vi, & potestate, constare nobis minime potest, nisi ex diuina reuelatione scripta, vel tradita. Sicut autem docemur apertè, per diuinam reuelationem, de potestate Baptismi, & Pœnitentiæ ad remittenda peccata, ita circa reliqua Sacramenta solum docemur de potestate conferendi augmentum gratiæ; neque quidquam præterea inde habetur de potestate conferendi, in aliquo casu, remissionem peccatorum. Sicut ergo potestas conferendi simpliciter gratiam credenda nequaquam fuisset de rebus materialibus; si reuelata diuinitus non fuisset: Ita potestas conferendi primam gratiam credenda nequaquam est, vbi nulla extat reuelatio diuina de ipsa.

Art. 3. Accedit Sacramenta significando causare, & causando significare quiddam causant, & significant, vt communiter dicitur, ac verè. Sicut autem ablutio Baptismi, & absolutio pœnitentiæ significant remissionem peccatorum; ita Panis Eucharistici nutritionem spiritualem, & reliqua Sacramenta potestatem ad peculiare vnaquæque actiones significant; atque vtralibet vitam agentis ex se præsupponit. Vnde hæc Sacramenta nullam in se continent significationem primæ gratiæ, & remissionis peccatorum. Nunquam ergo conferre illam possunt, nisi fortè Sacramentum Extreme Vnctionis, circa quod adest peculiaris ratio dubitandi, de qua dicitur in loco & modo præcinditur.

Ad 1. Hoc inter alia differt gratia à qualitatibus elementaribus, quod vnaquæque ex istis, per singulos suos gradus, excludit singulos tantum gradus qualitatis contrariæ. At gratia per quemlibet suum gradum excudit omnia peccata. Vnde potestas inducendi augmentum gratiæ non est necessariò coniuncta cum potestate remittendi vllum peccatum. Ne-

que hæc ex illa argui potest. Quia non bene arguitur potestas ad difficilius ex potestate ad facilius. Distinguendum igitur est de gratia simpliciter, & secundum augmentum tantum; necnon de contrario auferibili sensim per gradus, & non auferibili nisi totaliter.

Ad 2. Sancti PP. dum talia dicunt, non loquuntur de eo, quod per accidens, & rarerè tantum Sacramenta præstare possunt; sed de eo quod præstant per se, & semper quantum est ex sua natura. Vnde, dum ea dicuntur de Sacramentis in communi vniuersaliter, accipienda sunt iuxta distributionem accommodatam ad singula, & ad significationem singulorum. Dum verò eadem dicuntur de singulis seorsim, ac præsertim de Eucharistia, accipienda sunt de emundatione, & sanatione à venialibus, & de reliquiis mortalium quoad prauos affectus, & pœnas temporales, atque de præseruatione in futurum, etiam à mortalibus; per adiuncta auxilia gratiæ; ac præsertim circa Eucharistiam, de eadem, vt sacrificium est, vel de motu contritionis excitato, & concepto in susceptione eiusdem, vt Sacramentum est; quæ scilicet vis excitandi, atque inducendi contritionem inest peculiariter huic Sacramento, vt notat in hanc ipsam rem Dicastillus. Particulares cuiusque seorsim testimonij interpretationes in istos sensus videri possunt apud Vasquez disput. 205. cap. 5. & apud Cardinalem de Lugo disp. 12. de Eucharistia sect. 1.

Ad 3. Concilium Tridentinum can. illo 6. sancit imprimis Sacramenta nona legis conferre gratiam non vtrumque, sed quam significant. Vnde confirmatur potius nostra sententia, vt apparet ex ponderatione præmissa art. 3. Deinde, qui ad Sacramentum viuorum accedit mortuus, accedit vtiq; cum obice, & venit ad nuptias absque veste nuptiali; mittendus propterea in tenebras exteriores, certè relinquendus in iis, quibus iam subiacet. Confirmatur itidem vera sententia ex illo alio can. 5. Quia si remissio peccatorum lethaliū haberi posset per Sacramentum Eucharistiæ ex opere operato, is proculdubio esset præcipuus fructus ipsius. Sola igitur ibi supponitur remissio venialium, de qua non queritur, nec dubitatur in præsentia. Iam Apostolus agit tantum de dispositione necessaria, ne communio sit nocens, ac peccaminosa, sed honesta, & cum spe fructus. De dispositione verò necessaria ex natura rei, vt fructus Sacramenti reipsa percipiat, ibi non agitur, vt patet ex contextu. Certè bonam fidem ad id se sola minime sufficere aduersarij quoque ipsi consentiunt, quæ tamen sola satisfacit præcepto Pauli etiam absque attritione, vt rectè obseruat Vasquez disputatione nuper indicata fine.

Ad 4. Illi considerationi bonitatis, & misericordiæ diuinæ, nostræque in ipsa fiduciæ contraponitur remissionem peccati esse summè indebitam peccatori, & æquè debitam vindictam, cuius proinde indulgentia absque magnis expensis ex parte peccatoris, quales sunt in Baptismo adulti, & in confessione, non facile credenda est de iustitia Dei nihilo minore, quàm sit eius misericordia. Indicat nihilominus sententiam oppositam nostræ, licet obiter tantum, Diuus Thomas tum alibi, tum in præsentia q. 72. art. 7. ad 2. Vnde non nego eam esse valde probabilem ideo, vel maximè, quia vis prouocatiua iræ Dei conueniens peccato ex sua natura, hebetata admodum est, & misericordia Dei mansit quasi obarata nobis ad omne genus indulgentiæ per Passionem Iesu Christi, ex qua processerunt omnia Sacramenta, eorumque vis omnis subsistit.